

KNY-K-CC220

terred paper



Ermi Lobor Fly.

PANEGYRIS
INCLYTI
COMITATUS ALBENSIS.



DUM
SUB GENERALI
EAQUE FREQUENTISSIMA
ILLIUS
CONGREGATIONE
PER
EXCELLENTISSIMUM, ILLUSTRIS-
SIMUM, ET REVERENDISSIMUM
DOMINUM COMITEM,
DOMINUM
FRANCISCUM
ZICHY
DE
VÁSONKÓ,
PERPETUUM IN HOMONNA,
EPISCOPUM JAURINENSEM,
LOCIQUE,
ET
INCLYTI COMITATUS
NOMINIS EJUSDEM
SUPREMUM, ET PERPETUUM
COMITEM,
SACRÆ CÆSAREO - REGIÆ MAJESTATIS
CONSILIARIUM ACTUALEM INTIMUM.

KNY-18-00220



QUA
AD ID PECULIARITER DELEGATUM
CÆSAREO - REGIUM COMMISSARIUM.

Excellentissimus , & Illustrissimus Dominus Comes ,

DOMINUS
FRANCISCUS DE NÁDASD,

PERPETUUS TERRÆ FOGARAS ,
Sacrae Cæsareo - Regiae Majestatis Generalis Campi Mare-
schalli Locumtenens ,

ET
UNIUS INCLYTÆ LEGIONIS HUNGARICÆ
EQUESTRIS ORDINIS ACTUALIS COLONELLUS, &c.

M E D I Ò
Dilectissimi Sanguinis Sui , Illustrissimi Domini Comitis ,

DOMINI
BALTHASARIS
DE
EADEM NÁDASD,

PERPETUI DICTÆ TERRÆ FOGARAS ,

Sacrae Cæsareo - Regiae Majestatis Consilarii , Camerarii ,
& Excelsi Regii Judicii Septem - Viralis Co - Judicis &c.

Quà ob nunc quoque in Italia perdurantes gravissimas Bel-
licas Titulati Excellentissimi Domini Generalis Occupationes ,
de Benigna Altesatæ Sac. Cæs. Reg. Majestatis

ANNUENTIA LEGITIME PLENIPOTENTIATI.

*In antelati Inclyti Comitatus Albensis Supremi Comitis honorem ,
in Curiali ejusdem Inclytæ Universitatis Domo , in Libera Regiâque
Civitate Alba - Regalensi habita.*

SOLENNITER INAUGURARETUR,

Die vigesima prima Mensis Augusti , Anno eodem , quâ

THERESIA AVGVSTA RE X FRANCIS CO NÁDASDIO, HEROI, PLO,
FORTI, INVICTO CONTVLIT FASCES PROVINCIAE ALBENSIS.

O R A T O R E

Speḡtabili , & Generoso Domino ALEXANDRO RÓTTH de Gadócz,
Ordinario Vice - Comite Albensi.

SIC HONORATVR, ET EXALTATVR, QVEM DEVs, ET
REX HONORARI VOLET.



Uod bonum, felix, faustum, fortunatumque
 TIBI manè sit, Inclyta Albenſis Univer-
 ſitas! Habes jam Votorum TUOrum feli-
 citatem! Habes plenum Deliciarum TUA-
 rum ſolatium! Redit ſuus obſcuriori tantisper lunæ nativus
 ſplendor; Redit haud diu obnubilo ipſi etiam ſua Phœbo Se-
 renitas: Quô TE paulò ante, cum fine nimirum Anni re-
 center tranſacti Milleſimi Septingentefimi quadrageſimi ſex-
 ti, æquo pulſans pede pauperum tabernas, Regumque
 Turres, horrida mors, Supremo Capite TUO, Supremo
 Moderatore (dicam veriùs) Patre amantiſſimo *Illustriſſi-
 mo* condam *Domino* Comite, *Domino FRANCISCO Senio-
 re Eſzterházy de Galantba*, Perpetuo in Cſeſznek, Arcis-

que Nominis ejusdem Supremo & Hæreditario Capitaneo,
Sacra Cæsareo - Regiæ Majestatis Consiliario , jam sub
Anno adhuc Millesimo Sexcentesimo nonagesimo primo
TIBI Præposito , acerbè privare videbatur , redonavit rur-
sus Eum TIBI cælum , dum arcanô Illius Consiliô , Sa-
cra Cæsareo - Regia Majestas , Domina Domina nostra
Clementissima , quem hodiè hîc , ob graviores estò Bel-
licas actu quoque in Italia perdurantes occupationes , ibi-
dem distentum , in legitimè tamen Plenipotentia eaque
gratiosa Dilectissimi Sanguinis Sui *Illustrissimi Domini Co-
mitis , Domini BALTHASARIS de Nádasd* , Perpetui Terræ
Fogaras , Sacra Cæsareo - Regiæ Majestatis Consilia-
rii , Camerarii , & Excelsi Judicii Regii septem Viralis Co-
Judicis Persona , coram veneramur , *Excellentissimum & Il-
lustrissimum Dominum Comitem , Dominum FRANCISCUM
de Nádasd* , Perpetuum dictæ Terræ Fogaras , Generalem
Campi Mareschalli Locumtenentem , & Unius Inclytæ Le-
gionis Hungaricæ Equestris Ordinis actualem Colonellum
Suum , Mediante Sacro Diplomate Suo Cæsareo - Regio ,
per manus *Excellentissimi & Illustrissimi Domini Comitis ,
Domini LEOPOLDI de Nádasd* , Perpetui repetitæ Terræ
Fogaras , Consilarii Sui actualis Intimi , & per Regnum
Hun-

Hungariæ Supremi Aulæ Suæ Cæsareo - Regiæ Cancellarii , Agazonúmque Regalium Magistri , Anno delabente Millesimo Septingentesimo quadragésimo septimo , die trigesima prima mensis Maji benignissimè impertitô , Supremum TIBI Comitem nominare , unáque mediô *Excellentissimi, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Comitis, Domini FRANCISCI ZICHY de Vásonkô* , Perpetui in Honmonna , Episcopi Jaurinensis , Locique & Inclyti Comitatus nominis ejusdem Supremi , & Perpetui Comitis , Consiliarii æquè Sui actualis Intimi , quâ ad id peculiari-ter Delegati Cæsareo - Regii Sui Commissarii , solenniter quoque installari facere , lubenti prorsus animo , simúlque Clementissimè dignabatur.

Habemus Inclyta Universitas ! quod corda Regum , Hominúmque Sortes , Versanti DEO , seu magnam illius providentiam , seu felicitatem Nostram , ac bonorum omnium coronata desideria , altiùsensemus , referamus in acceptis ! Verùm antea quàm id ad Aras Divinæ Majestati Sacras persolvamus :

TUI mediô , *Excellentissime, Illustrissime & Reverendissime Domine, Domine Cæsareo - Regie Commissarie* , TUI

inquam mediô pro tanta Regio - Materna gratia , cura ,
solicitudine , atque clementia , humillimas , eâsque , quas
possumus , immortales Sacræ Cæsareo - Regiæ Majestati Do-
minæ Dominae , & Reginae nostræ Hæreditariæ , ac Cle-
mentissimæ , cum summa animorum nostrorum devotione
referimus gratias ; Simul & Eidem florentem , ad matu-
ros vividæ senectutis annos , omnigenarum prosperitatum ,
atque felicitatum genere refertam , inque seros Nepotes
profectam ætatem , ardentibus votis comprecamur ; San-
guinémque , & Vitam nostram pro omni occasione , ho-
magiali obligamine devovemus

TIBI verò *Excellentissime , Illustrissime , & Reverendissi-
me Domine , Domine Cæsareo - Regie Commissarie* : Pro so-
latioso hoc Regio Nuncio, exantlatâque Regio - Vicaria hac
TIBI Clementissimè delata potestate , gratias habemus ma-
ximas , ac ad grata vicissim quævis obsequia , cùm in ge-
nere , tum in particulari nosmet obsequiosè , ac humillimè
obstringimus.

TIBI demùm *Illustrissime Domine Comes Plenipotentia-
rie* , pro , per susceptam hanc etiam Vicariam Provinciam,
tantò magis accelerata desideriorum nostrorum meta , sum-

mas

mas æquè rependimus gratias ; Quàve felici cœpisti manu , eâdem porrò , simúlque Sapientissimò Consiliò TUO Comitatum hunc protege , rege , & moderare , cordiculus vovemus.

Sed jam ad TE (ubicunque demum sis , animò tamen nostrò , Gratosâque TUA *Illustrissime Domine Domine Comes Plenipotentiarie* in Persona præsentem considerando) ad TE , inquam , jam sese mea convertit Oratio , *Excellentissime , & Illustrissime Domine Neo - Supreme Comes noster* : Tributarius quippe hic Magnæ Dignitati TUÆ , Honorique dies , indicibile est , quantâ totius Inclytæ hujus Universitatis animum perfundit lætitiâ ? Qua vultum replet amænitate ? Quibus pectus incendit jubilis ? Viget enim Suis facibus , viget stimulis fœcundissimus votorum amor , & eò perurit , eò laceffit usque pectus omnium , donec Veneranda TUI in Præsentia , totum in vota , totum in desideria exundet.

Et certè evenire id & ego mihi hodie persentio , quod Memnonis illi in Ægypto Statuæ : quæ , ubi Serenissimi Solis Radius affulsit , movere se , immobilis alioquin moles , incipit , vitâ quâpiam redanimari , gestire gaudiis ,

& humanissimum ave depromere , fiderum Principi ; sic pariter gloriosa hæc Installationis TUÆ dies , *Excellentissime , & Illustrissime Domine Supreme Comes noster* , è languenti alacrem , è muto , & elingui loquacem effecit. Nec immeritò :

Sive enim Excelsæ , Illiúsque vetustissimæ Profapiæ TUÆ , five propria Virtute TUA partorum grandium Meritorum TUOrum Magnitudine debitum TIBI summum Inclyti Comitatus istius Honorem suspiciamus , five adventitiam perinde nobis felicitatem nostram spectemus ; Inde virorum fortium , & virtuosorum legaliter quoque ita fieri debita Remuneratio ; hinc abinde dimanans Lætitia singularis , & intensus Amor , vel aliàs invitos , in plausus , & jubilos mirificè excitant.

Enimverò , si præclaras animi , corporisque dotes , quibus ab Altissimo jam in viridi adhuc dum hac ætate TUA abundantissimè decoratus es , pressius consideremus ; Incomparabilia Majorum TUOrum ævô illô acta , & facta , cumulatissimis vel sub modò feliciter regnante Cæsareo-Regia Majestate , exantlatis Militaribus Facinoribus TUIS compendiò absolvisti ; optimè quid nî memor sapientissimæ illius parcemiæ :

Nam ,

*Nam , quid imaginibus ? quid Avitis fulta triumphis
Atria ? quid pleni numero sanguine fasti
Profuerint ? Si vita labat , perit omnis in illo
Gentis honos , cujus laus est in Origine sola.*

Commemorabunt , imò æternitati transcribent insignes , easque innumeras de conjuratis Augustæ Domûs Austriacæ hostibus reportatas Victorias TUAS , universa Sacræ Cæsareo - Regiæ Majestatis Regna , & Provinciæ Hæreditariæ , partim jam sub gravi inimicorum jugo , aliquamdiu gementes , partim idem vehementer jam jam sibi imminere formidantes.

Attigisti procul dubiò , ut antedaneas præteream , vel per concatenatas sexennii Victorias , gloriæ TUÆ apicem *Excellentissime* , & *Illustrissime Domine Supreme Comes noster* , & cogitationum nostrarum expectationem celeritate agendi prævertisti. Vix unum , alterúmve Cursorem numeravimus , & jam plures totidem prope annorum Victorias recensuimus ; Diuturnitatem scilicet temporis intensione virtutis compensâsti ; Et ne diu vinceret , vicisti sæpius. Felix omnino proclamabaris , qui menses victoriis excederet , & nihil non perrumperet , quod tentaret. Cùm omnia Moderationis Legibus pertractaret , hoc unum egi-

sti

sti immoderatè, quòd Spei, Votisque nostris eò enitendi ademeris facultatem, quò TUA se se nunquam Sagi, Ferrique pondere lassata Virtus, per calcata moenia, per depressas tot Urbium Turres elibravit. Quare admirabili agendi felicitate consecutus es illud, quod magnorum, ac supra humanam expectationem emergentium Heroum est proprium, ut communi totius Europæ consensui materia esses, non laudis, sed admirationis; Paucorum annorum spatiò superâsti sæculorum facundiam, ut, cùm plurima de TE dixerint Oratores, plura supersint, quæ dicantur; Immortalitatis enim Acta, non facilè annorum Eloquentiâ mensurantur. Et hinc Jure optimo id obtinuisti, quod propria virtus TUA justò exigere poterat.

Felicitatem Nostram quod concernit: Inspiciant, per me licet, Alii astra, observent tempora, scrutentur naturam, attendant complexionem; Ego parvi pendo: Meliorem Nos legimus Horoscopum, vel ex leviter præinsinuata millenarum virtutum TUARum umbra, quàm ex fallaci siderum contemplatione.

Qui ardua adeò fortiter, læta moderatè, non minus, ac feliciter, atque TU *Excellentissime, & Illustrissime Domine Supreme Comes* excipere consuevisti; Qui sæpe sæpius die-

bus

bus jungebas noctes , imperabas Jura somno , & ipsa quietis tempora faciebas labori tributaria ; Instabas gloriosorum operum , & Actor , & Laudator : Trahebas TUOS muneribus , urgebas hortatibus , movebas laude , impellebas exemplô , ut , cùm TUA , TU non palleres ad vulnera , nemo sua formidaret. Audiebas denique Pater proborum TIBI subjectorum , Terror & Flagellum hostium , atque improborum.

Quid non prudenter , Inclyta Universitas ! ominari poterimus , fore : ut cùm publica , tum privata TUA negotia sub tam prudenti Moderatore , prudenter , utique , non minùs , atque prosperè decurrant , finémque suum desideratum consequantur.

Gratulare TIBI Inclyta Albenfis Universitas ! gratulare inquam TIBI Inclyta Nobilitas ! gratulare TIBI Plebs misera ! Erit , qui TUA , O Nobilitas ! Jura , Immunitates , Libertates , Prærogativas , & Privilegia , viriliter propugnet ; Qui vestras , Viduæ inconsolabiles , Orphani , Pupilli , & à fortuna ipsa pene derelicti , injurias , & persecutiones strictissimè ulciscatur ; Qui communem , & distributivam Justitiam , pro reverentia sanctissimarum Legum Patriarum sedulò curabit ; Qui TUAS Plebs misera calami-

tates

tates leniat , & à quibusvis adversitatibus immunes conservet !

Pavete , contrà , metuite , timete , trepidate , & perhorrescite universi fures , prædones , latrones , homicidæ , & id genus malefactores ; Invenietis hic , & Martem , & Themidem ; Invenietis acerrimum , juxtà , ac rigidissimum scelerum vestrorum Ultorem , Vindicem , & Profligatorem ; Nesciet hic parcere malis , quia nesciet nocere bonis.

Vive igitur , *Excellentissime , & Illustrissime Domine Supreme Comes Noster* ; Vive diu felix , sospes , & incolumis ! Vive DEO : Vive Coronato TUO , & nostro Capiti , Augustæque Ejus Domui : Vive Patriæ : Vive Comitatus huic : Vive Excelsæ stirpi TUÆ : Vive omnibus Nobis in genere , & singulis in particulari ! Et denique illud Plinii ad Trajanum Imperatorem perorantis exemplum secuti , animitus vovemus : *Det TIBI DEUS ætatem , quam mereris , servétque animum , quem dedit !*

Ad extremum : *Excellentissime Domine Supreme Comes , Thesaurum pretiosissimum , Gemmam inæstimabilem , pupillam oculi , authenticum nempe sigillum , quod per Illustrissimum condam Dominum hoc in officio Antecessorem TUUM , sua & inclyti Comitatus hujus Autoritate , pro officii*

ficii mei ratione , Mihi gratiosissimè consignatum fideliter
semper conservavi , quòve jurata fide usus fueram , TIBI,
quà *Supremo Comiti meo* , in signum debitæ erga TE obser-
vantiaè humillimè præsentò. Continet authenticum istud,
Divum Stephanum , primum Mariano-Apostolici hujus Re-
gni Hungariæ Regem , sacram Coronam , Sceptrumque su-
um sanctissimæ DEI Genitrici Virgini MARIÆ , JESULUM
ulnis suis complectenti , flexo poplite humillimè consecran-
tem ; Cúmque Inclyta hæc Universitas pretiosius TIBI de-
stinare munus nequeat , offert TE pariter , omnia , quæ
solatia TUA , & vel maximè magnificum hoc Gubernium
TUUM , quod hodie felicissimè auspicaris , sub præpoten-
tem Magnæ Hungarorum Dominæ , velut & peculiaris Co-
mitatûs hujus Tutelarîs , Protectionem , Præsidium , Pa-
trocinium , & Directionem. Quod , ut positivè omnino
præstemus , & DEO ter optimo Maximo tanti boni , ut
aliorum omnium Authori , condignas TEcum unà repen-
damus grates , ad sacram illam , quæ hac in Urbe Regia ,
Divo Eidem Proto - Regi Stephano , Sceptrum , & Co-
ronam sacram , Divæ Matri de genu litanti , dicata est , Ædem ,
TE obsequiosè , simúlque humillimè invitamus.

D I X I.

JAURINI , Typis Gregorii Joannis Sireibig , privil. Reg. & Episc. Typogr. 1747.

IX

1917



